

quæ sunt alia animadversione digna, ea protulimus & expendimus omnia in Commentario.

Num. II. sequitur Chronicon Patriarcharum, quod in Maxentio, qui Aquilejensem seculo nono incepto regebat Ecclesiam, finem habet. Chronicon idem, vitis Patriarcharum auctum usque ad Nicolaum, typis vulgavit Ludovicus Antonius Muratorius Tomo IV. Anecdotorum Latinorum, & Tomo XVI. Collectionis Rerum Italicarum. Sedem, vitamque Nicolaus anno 1358. amisit; unde seculi quartidecimi fœtum esse Opusculum, in Præfatione contendit laudatus Auctor. In Commentario nostro Capite I. num. 2. animadvertimus, Doctissimum Virum non advertisse, neque fortasse advertere potuisse, Chronica Patriarcharum Aquilejensium plura circumferri, adservarique in Archivis: quibusdam vero plurium vitas Patriarcharum exhiberi, pauciorum aliis; adeoque non unam, sed variam Chronicorum ætatem constituendam esse, cum vetustis temporibus chronica Episcoporum in Ecclesiis conscribi cœperint, Successorum deinceps numero augenda.

Chronicon, quod vulgamus ex Apographo in Archivo Canonorum Civitatis seu Forojuliensium adservato descriptum, desinit in Maxentio: illudque nono seculo concinnatum esse, haud levi affirmari posse conjectura credimus. Paulum Diaconum, qui vitas Episcoporum Metensium octavo aera christianæ seculo conscripsit, Italis ingeniis exemplum præbuisse ad paria elucubrandam opera, prudentissime sibi suadet Muratorius in Præfatione ad Librum Pontificalem Agnelli Tomo II. Scriptorum Italiae. Paucis namque post ejusdem Pauli obitum annis natus ipse Agnellus, vitas Ravennatium Episcoporum sibi conscribendas suscepit: itemque Opusculum de situ civitatis Mediolani inscriptum, in quo veterum ejus urbis Antistitum habentur vitæ, profert idem Muratorius Tomo I. Parte II. citatæ Collectionis; quod ad seculum decimum, ac fortasse nonum referri posse arbitratur, cum post annum (inquit) potissimum a Christi Nativitate octingentesimum mos invaluerit, ut præclara quæque Ecclesia vitas Antistitum suorum colligeret, ac litteris consignaret. Præclarissima vero in Italia semper fuit Aquilejensis Ecclesia, eaque tempestate maxime florebat: eamque par est credere, (loqui liceat cum Muratorio de Mediolanensi disserente) ejusmodi ornamento, quod & minores Ecclesie sibi conquiescerant, carere diutius noluisse. Chronicon ergo, quod seculo nono concinnatum fuisse verisimillimum est, licet antea a Muratorio typis editum, mendis aliquibus expurgatum vulgamus; quod additamenti sequioris ævi interpolatum, vitiisque Patriarcharum annis corruptum, non abnuimus.

Num. III. prostat alterum Chronicon, ex eodem Archivo Canonorum Civitatis de promptum, initio mutilum ac lacerum, quod in Volchero finem habet. Novum occurrit argumentum, quod suadet, variis temporibus diversa Patriarcharum Chronica confecta esse; illudque in more positum, ut vetusta Chronica, quæ seculo nono fortasse compilari cœperunt, vitis Episcoporum, qui succedebant, ab synchronis Auctoribus adaugerentur. Hoc idem Chronicon in eo, quod a Muratorio vulgatum memoravimus, continetur. Dispendium operæ non fuerit, novis illud typis in lucem edere. Utriusque facta collatione, utrumque mendis aliquibus vitiatum facile deprehenditur; nimiumque libera recentium Exscriptorum manu interpolatum.

Num. IV. V. VI. aliorum Chronicorum, quæ in variis, publicis, privatisque, Provinciæ archi-

vis habentur, partes evulgamus, quæ Patriarcharum seriem vitasque perducunt usque ad Ludovicum Techium. Additamenta ad Vitas Patriarcharum ab Ottobono usque ad ipsum Techium vulgavit Muratorius Tomo XVI. Scriptorum Italiae. Fusiore calamo conscripta sunt Opuscula, quæ nos nacti sumus, eademque a cœvis procul dubio scriptoribus concinnata.

Num. VII. Catalogum damus locorum, Civitatum, Oppidorum, Castellorumque Provinciæ Forojuliensis, quæ passim occurrunt in historia Patriarcharum, ac pleraque ejusdem Provinciæ Dynastis cognomen tribuunt, qui vulgo *Castellani* dicuntur. Apographum, quod exscripsimus, non adeo vetustum credimus: in eoque tum plura nomina corrupta sunt, tum adnotationes habentur, quæ a veritate abhorrent. Diligentiorum Provinciæ nostræ descriptionem contexit Henricus Palladius de Olivis Libro I. Rerum Forojuliensium, locorum insuper quæ numerat situ indicato. Alia circumfertur manuscripta, eademque accuratissima descriptio, quam italicè scripsit Hieronymus de Purliis, nuncupavitque Episcopo Nicastris, Sedis Apostolicæ ad Venetam Rempubicam Legato, data *Ragoneæ* ad ipsum Epistola die 20. Septembris anno 1567. Ad me quod attinet, commemoranda ea loca censeo, quæ vetustis nota fuerunt scriptoribus.

Apud Plinium Libro III. Capite XVIII. narrantur *Alinum*, *Colonia Concordia*, *Portus Romanum*, *Castellum nobile vico Pucinum*, *Colonia Tergeste*: itemque populi occurrunt Capite XIX. *Julienses Carnorum*, *Forojulienses cognomento Transpadani*, quibus addo *Venidates*. Notat Ptolomæus Libro III. Geographiæ Tabula VI. Europæ secus Adriaticum sinum *Tergestum Colonia*, & in Carnorum Mediterraneis *Forumjulium Colonia*, *Concordiam Colonia*, *Aquilejam Colonia*. In Itinerario Antonini Augusti præter Aquilejam legimus *Triensimum*, & *Julium Carnicum*.

Venantius Fortunatus, qui seculo sexto florebat, ac Provinciæ fines ac loca optime noverat, plura memorat Libro IV. de Vita S. Martini carminibus descripta. Ita canit vero Tomo X. Lugdunensis Bibliothecæ Patrum:

*Hinc pete, rapte, vias, (librum suum alloquitur,) ubi Julia tenditur alpes*

*Altius assurgens, & mons in nubila pergit.*

*Inde Foro, Juli de nomine Principis, exi*

*Per rupes, Osopo, tuas, qua labitur undis,*

*Et superinstat aquis Renuatilia montis.*

*Hinc Venetum saltus: campestris perge per arva*

*Sub montana quidem, Castella per ardua tendens.*

Vitio multiplici laborant carmina. Eadem felicissime vitiis purgavit ex Vaticano insignis notæ Codice Doctissimus Archiepiscopus Ancyræ, Justus Fontanus, in Commentario S. Columbæ. In quarto carmine pro *labitur* legendum indicit *lambitur*. In quinto corrupta sunt illa verba, *Renuatilia montis*: repone vero *Revunia Tiliamenti*. In septimo duplici illa voce *sub montana* ablegata, lege *Submontana*. Hinc habes *Forumjulii*, & *Osopum*, & *Revuniam* seu *Reuniam* Castellum, quod Tiliamento fluvio *lambitur*. Habes etiam generatim *Venetum saltus*, & *campestris arva submontana*, & *ardua Castella* quæ frequentissima sunt in collibus Provinciæ.

Eadem loca commemorat Paulus Diaconus Libro II. Historiæ Langobardorum Capite XIII. ubi de Fortunati in Gallias proficiscentis itinere mentionem ingerit. Verba ejus sunt: *Qui* (Fortunatus)